ANNO DOMINI DCCCXLIV.

FROTHARIUS

TULLENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN FROTHARIUM.

(Fabricius, Bibliotheca med. et infi Latinitatis.)

Frotharius ex abbate S. Apri episcopus ab anno 813 Tullensis in Galliis defunctus post annum 837, cujus *epistolas* viginti quinque ex antiquo ms. Carnotensi vulgavit Andreas Duchesne tomo II Scriptorum Rerum Francicarum, pag. 712-723, scriptas ad Imperatorem Ludovicum Pium, ad Juditham ejus conjugem, ad Agleniarum abbatem, Drogonem, Eginhardum, Gerungam, summum sacri palatii ostiarium, ad Hetti archiepiscopum, Hittonem episcopum, Hilduinum patrem et magistrum, Hugonem, Sicharduum magistrum, Teutlericum et Ragenardum venerabiles viros, et ad Wighardum abbatem, adjunctis sex epistolis ad Frotharium scriptis a Wicardo sive Wighardo abbate, ab Aldrico sive Alberico, Jeremia, Hetti archiepiscopo Lingonensi.

FROTHARII EPISTOLÆ

(Apud dom. Bouquet. tom. IV, *Recueil des historiens.*)

EPISTOLA PRIMA.

AD HILDUINUM.

Egregio viro, et cum summa veneratione nominando Hilduino[b], a Deo electo Patri et magistro, Frotharius[c], humilis episcopus perpetuæ beatitudinis in Domino opto salutem.

Salute corporis et animæ vestram jugiter celsitudinem optari, et felici sublimatione tam in cœlesti virtutum charismate, quam in terrenæ dignitatis nitore diutius augmentari, toto mentis adnisu, totius animi intellectu, toto pectoris robore desideramus, optamus, poscimus. Cupimus nihilominus vestræ dignitatis ora contemplari, vestræ solertiæ eloquiis in Domino perfrui; quin etiam templa piissimæ religionis intueri, quibus et spiritalia monita capiamus, et salutaria sanctitatis ornamenta sumamus. Nam etsi corporali intuitu vestri ordinis splendidissimum nequeo contemplari decorem, sed assidue cum spiritualibus cum ineffabili gaudio contemplor obtutibus. Imo et mihi meisque hujusmodi vestigia frequenti adhortatione non omito inculcare sectanda. Non enim valeo tantæ jucunditatis gesta, et tam pia divina servitutis obsequia memoriæ non retinere, quæ apud vestram devotissimam paternitatem me constat nuper vidisse. Quis enim semel eas conspiciens non animo salubriter infigendo deprehendat, quorum recordatio summæ pietatis est solidatio? quorum executio perpetuæ quietis est adeptio? Jussio divina mihi omnibusque vestræ devotionis exercitia cernentibus pro favore, ut ea prosequi digne valeamus, aspiret, et nobis pro potestate secundi operis exemplo perpetuæ recompensationis premia feliciter concedat. Amen.

Domino imperatori litteris innotescimus ego et Smaragdus[d] abbas, qualiter Iamnodus[e] abbas et monachi ejus quadam simultate a se invicem discedent. Vestra pia sollicitudo agat, ut illi monachi votum suum Deo promissum implere valeant, et eadem litteras ad ejus præsentiam vestra paupertas deferat.

EPISTOLA II.

AD GERUNGUM SUMMUM SACRI PALATII OSTIARIUM.

Illustrissimo viro, et toto affectu colendo, ac desiderando Gerungo summo sacri palatii ostiario, sibi vicissim rependi; Constituimus vero pro his donis nobis per singulos annos in festivitate B. Apri exhiberi, id est, convivium ibidem peragendum, equum pretii solidorum triginta, clypeum quoque, et lanceam, sed et coria duo, totidemque cilicia, nec non et tempore militiæ angariam.

[a] Frotharii epistolas ex antiquis membranis Carnotensibus primum edidit Andreas Chesnius, tom. II Script. Franc., pag. 712.

[b] Hilduinus fuit archicapellanus palatii, abbas S. Dionysii, S. Germani Paris. et S. Medardi. Obiisse creditur anno 840.

[c] Frotharius ex abbate S. Apri Tullensis episcopus ordinatus fuit anno 813. Circa an. 847 mortuus est. Apud Calmetum in probationibus Historiæ Lotharingiæ exstant duæ chartæ a Frothario concessæ monasterio S. Apri; in quarum una Frotharius pro donis quæ huic monasterio contulit, vult quædam

[d] Smaragdus abbas S. Michaelis ad Mosam (Saint-Michel) in diœcesi Virdunensi.

[e] Hismundus abbas secularis monasterii Medianensis. Causam simultatis inter ipsum et monachos Medianenses vide in epistola tertia.

[f] Palatii ostiarium alio nomine *scariohem* appel-

Digitized by Google